

A **MACROBII AVRELI**

THEODOSII VIRI CONSULARIS ET ILLV/

stris Saturnaliorum liber sextus.

Quos uel ex dimidio sui, uel solidos etiā uersus, ab antiquis Latinis poetis sit mutuatus Vergilius.

Caput .I.



ICPRAEtextatus: Mirum, inquit, in modum digessit Eustachius quæ de Græca antiquitate carmini suo Vergilius inseruit. Sed meminimus uiros inter omnes nostra ætate longè doctissimos, Furium, Cecinnamq; Albinum, promississe se prodituros, quid idem Maro de antiquis Romanis scriptoribus traxerit. Quod nunc ut fiat, tempus admonet. Cumq; omnibus idem placeret, tum Furius Albinus: Etsi uereor, ne dum ostendere cupio quantum Vergilius noster ex antiquorum lectione profecerit, & quos ex omnibus flores, uel quæ in carminis sui decorem ex diuersis ornamenta libauerit, occasionem reprehendendi uel imperitis, uel malignis ministrem, exprobrantibus tanto uiro alieni usurpationem, nec considerantibus hunc esse fructum legendi, æmulari ea quæ in alijs probes: & quæ maxime inter aliorum dicta mireris, in aliquem usum tuum opportuna deriuatione conuertere, quod & nostri tam inter se quàm à Græcis, & Græcorum excellētes inter se sæpe fecerūt.

Et ut de alienigenis taceam, possem pluribus edocere, quantum se mutuò compilarint bibliothecæ ueteris autores. Quod tamen opportunè aliàs (si uolentibus uobis erit) probabo. Vnum nunc exemplum proferam, quod ad probanda quæ assero penè sufficiet. Afranius em̄ togatarū scriptor, in ea togata quæ Comitalia inscribitur, non inuerecundè respondens arguentibus, quod plura sumplisset à Menandro: Fateor (inquit) sumpsi, non ab illo modo, sed ut quisq; habuit quod conueniret mihi, quodq; me non posse melius facere credidi, etiàm à Latino. Quod si hæc societas, & rerum communitio, poetis scriptoribusq; omnibus inter se exercenda concessa est, quis fraudi Vergilio uortat, si ad excolendum se quædam ab antiquioribus mutuatus sit: Cui etiam gratia hoc nomine est habenda, quod nonnulla ab illis in opus suum, quod æternò māsurum est, transferendo, fecit ne omnino memoria ueterum deleretur: quos (sicut præsens tempus ostēdit) non solum neglectui, uerum etiam risui habere iam coepimus. Deniq; & iudicio transferendi, & modo imitandi, cōsecutus est, ut quod apud illum legerimus alienum, aut illius esse malimus, aut melius hic quàm ubi natum est, sonare miremur. Dicam itaq; primùm, quos ab alijs traxit uel ex dimidio sui uersus, uel penè solidos. Post hoc, locos integros cum parua quadam mutatione translatos, sensus ue ita transcriptos, ut unde essent eluceret: immutatos alios, ut tamen origo eorum non ignoraretur. Post hæc quædam de his, quæ ab Homero sumpta sunt, ostēdam non ipsum ab Homero tulisse, sed prius alios inde sumpsisse, & hunc ab illis, quos sine dubio legerat, transtulisse.

p in Vergi